



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 24. Oratores a Galliarum Rege ad Spirensen conventum ablegati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

petrare haud poterant, eo quod Imperator illum a publico confessu re nondum discussa, nec decisa excludi haud posse affirmaret: Priusquam vero hæc sessio solveretur, Catholici æque ac Protestantes, quos Cæsaris oratio plurimum commoverat, se totis viribus eidem contra Franciæ Regem præsto futuros spondebant, collatisque inter se consiliis decreverunt, quod eundem haud ultra Regis nomine venerari, sed potius tanquam fidei Catholicæ desertorem, Barbarum, ac Christi Domini, ejusque Ecclesiæ hostem abominari vellent.

Sæc. XVI.
A.C. 1544.

§. XXIV.

Oratores a Galliarum Rege ad Spirensem Conventum ablegati.

Rebus ita dispositis Franciscus I. Galliarum Rex probe prospexerat, quod Cæsar apud Imperii Principes suas contra eum querelas delaturus esset, hinc suos ad comitia Oratores decernebat, qui eum ab objectis criminibus purgarent. Hujus legationis præcipui erant Joannes Bellajus Cardinalis, Franciscus Oliverius, Alenconius Cancellarius & Prætor Divionensis. Hi Nancejum in Lotharingia situm mense Januario delati ibidem substitere, donec publicæ securitatis literas a Cæsare accepissent; Rex enim jam antea facialem ea de

Sleid. p. 505.
Pallav. l. c.
c. 5. n. 2. & 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1544. caussa Spiram unacum literis ad Carolum Imperatorem præmiserat : cum autem fecialis legationis suæ insignibus ornatus exeunte mense Februario Spiram adveniret, Granvellanus eundem comprehendi jussit, eique quamdam domum, in qua interim detineretur, assignavit, facto interdicto, ne ipse inde exiret, nec quiscunque eidem colloqueretur. Fecialis equidem ex eo, quod captus retineretur, gentium jura violari opponebat, verum nihil deferebatur ejus querelis, sed vehementer reprehensus quarto post adventum die ad sua redire jubebatur, adjectis asperrimis hisce verbis : „ Tibi adhuc favet fortuna, „ cum sanus atque incolumis reverti permittaris, nam Regi Domino tuo, cum „ sit Germaniæ hostis, sese Imperii negotiis ingerere haud competit; tibi vero „ hac vice potius ex Cæsaris clementia, „ quam meritorum suffragio venia datur, in posterum vero sollicite caveas, „ ne ejusmodi legationes in te suscipias, „ si impune redire velis; scias enim, legibus prohibitum esse, ne feciales in „ loco, ubi Imperator moratur, eo inscio compareant. „ Hæc feciali dicta fuere, literæ autem, quas secum deferre ajebat, minime recipiebantur, sed illi hoc idem responsum scripto dabatur unacum equo, quo Nancejum usque

ve

veheretur, ubi eum præstolabantur Oratores, qui acceptis securitatis publicæ literis mox sese itineri accingere parabant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1544.

§. XXV.

Oratores denegatis fidei publicæ literis in Gallias reversi.

Oratores a feciali totam rei feriem edocti anxii omnino curis agitantur, ac consilii inopes, quid in hac rerum vicissitudine agerent, a Lotharingæ Duce exquirebant, hic vero eisdem auctor exstitit, ut in Franciam redirent.

Steidam. l. c. p. 506.
Freher. t. 2. rer. Germ. Spond. hos ann. n. 2. Belcar. l. c.

Acquievere illi consiliis Lotharingii, qui quamvis neutri parti adhæreret, summo tamen studio Cæsarem inter & Galliarum Regem pristinam restitui amicitiam peroptabat; verebatur enim, ne bello diutius protracto ejus quoque ditones devastarentur. Verum Carolus Imperator a pacis studio multum alienus videbatur; suum enim honorem atque existimationem in discrimen adduci credebat, si cum Gallis concordiam iniret, priusquam armis Franciam in suam redeget potestatem. Eapropter Galliarum Oratores sermonem, quem in Spirensibus comitiis perorare constituebant, typis vulgare curarunt. In eo pristina Germanos inter & Gallos foedera recensebant, postea vero suorum hostium ac-